

CAPVT III.

*De Ichthyocolla.*TAB. XXIX.
16.*Plin. H. IV.*
*l. 32. c. 7.**Diosc. M. M.*
*l. 3. c. 102.**Bellon. de*
Piscib. l. 2.

Ichthyocollae meminit Plinius ex veteribus dum inquit. Ichthyocolla appellatur piscis, cui glutinosum est corium, idemque nomen glutini ejus. Quidam piscem Judaicum vocari scribunt, quod nomen Zygaenae apud Parisienses competit, alii Antacaeum ab Herodoto, a Pomponio Magnum vocari dicunt, nonnulli Plinii Mariorem appellant. Bellonius Tanais accolis *Barbotam* dici, quod quaternis veluti barbis ad labia sit communitus, prodidit. Nec alium Dioscorides intellexit, cum gluten ventrem esse piscis cetacei, laudarique candicans, ratione Ponticum scripsit. Tale enim et hodie ex ejus intestino ex Ponto mittitur. Est autem piscis cetaceus figura oblonga ac prope tereti. Ossibus ac spinis caret, capite est crasso et lato, ore magno et in promptu posito: e superiore maxilla quatuor apophyses carnosae, velut barbae dependent, unde Barbotta dicitur. Oculos parvos habet pro corporis magnitudine. Bellonius ait hoc a Sturione atque Attilo praecipue differre, quod rostro careat, magnum oris rictum prae se ferat, sitque sublutea, dura, laevi ac glabra cute convestita carne. Bina ante oculorum canthum, parva atque aperta foramina habet: pinnas in tergo duas (quas aliter Rondeletius, aliter Bellonius pingit) ad caudam erectas. Branchiae veluti spineo tegmine communiuntur.

Sturionis modo: Cauda quam huic magis bifurca: praecipua a caeteris piscibus nota discernitur, quod paulo supra spineum operimentum branchiarum, quodam ad ejus latera impresso foramine pervius sit. *Folliculus*, sive vesica, ex qua glutinum fit a capite ad caudam, per spinae longitudinem extenditur. *Carne* est secundum Rondeletium praedulci, et glutinosa admodum, ob id saliturae idonea, qua melior redditur et rubescens Salmonis modo, atque etiam durior, quam ob causam aliquandiu maceranda, priusquam coquatur. Eam Tanais et Ponti accolae Romam et Venetias transmittunt, illicque in foro piscatorio venditur. Ichthyocolla auctore Plinio epinyctides tollit. Erugat cutem, extenditque in aqua decocta horis quatuor, denuo contusa, colluta et subacta ad liquorem usque mollis. Ita praeparata in vase novo conditur, et in ulu quatuor drachmis ejus, binae sulphuris, et anchusae totidem, octo spumae argenteae adduntur, aspersaque aqua teruntur una. Sic illita facies, post quatuor horas abluitur. Idem alibi. Lethargicos (inquit) coagulum vituli adjuvat in vino potum oboli pondere: idem Ichthyocollae. Valet ad conglutinandas omnis generis chartas, atque instrumenta musica, reliquaque lignaria incrustamenta, quae tessellato, imbricato, et vermiculato opere fiunt.

CAPVT IV.

*De Glanide.*TAB.
XXVII. 8.*Schonfeldt.*
Ichthyol.
c. 60

Piscis, qui Aristoteli et Pausaniae Glanis, Plinio saepe Silurus, aliquando Glanis, Glanus, et Glanius vocatur. Ab Aeliano Siluro explicatur. Veteres sequuntur recentium plurimi, interque hoc Gesnerus et Schonfeldius, nos quid sentiremus, superius diximus. Nomen a Glanide Italiae et Cunae fluvio accepit, si Stephanum sequimur, ejusdemque vestigia apud Byzantinorum vulgus, qui hodieque Glangnum teste Manardo, vocant, quasi Glanum, retinet. Descriptionem quod attinet, sunt ipsi spinae pro ossibus non Cartilagine. *Corpus* fuscum,

nigris maculis plenum, squammae nullae, corium satis crassum, et lubricum. Caput grande, depressum. *Os* obtusum. *Oculi* parvi. *Rictus* amplus et ad capitis latitudinem patulus. *Labia* superiora gemino, inferiora unico ordine denticulorum confusaneorum, introrsum reclinatorum aspera, quibus praedam retinet. *Fauces* binis utrinque ossiculis, limae instar asperae sunt. A labro inferiore dependent barbulae quatuor, tenues, oblongae, pallidae, a superiore duae, ejusdem coloris, durae, longissimae, praetenturarum instar, quas ante se modo exerit, modo com-